RECTOR

ACADEMIAE LIPSIENSIS

D. CAROLUS GEORGIUS DE WAECHTER

MEMORIAM

INSTAURATAE REI CHRISTIANAE

D. XXXI. M. OCTOBRIS A. D. MDCCCLIX

CELEBRANDAM INDICIT

INTERPRETE

D. FRIDERICO TUCH

ORDIN. THEOL. H. T. DECANO [redacted]

QUAESTIONES DE FLAVII IOSEPHI LIBRIS HISTORICIS.

LIPSIAE

LITTERIS EXPRESSUM A. EDELMANNI,

ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

Flavium Iosephum, peritissimum rerum Iudaicarum scriptorem, historicis suis libris simul locupletissimum esse cognoscendae terrae sanctae auctorem, nemo est, qui neget. Ipse enim Hierosolymis nobili genere natus, ingenue et liberaliter educatus atque inde a pueritia singulari imbutus litterarum amore optimisque studiis instructus (d. Vit. sua §. 2.), quum ingenio suo animique altitudine apud populares suos tanta excelleret dignitate, ut instante bello cum Romanis gerendo summae rerum in Galilaea gubernandarum tam civilium quam militarium praeponeretur, perquirendarum patriae suae provinciarum occasionem nanciscebatur idoneam gravissimamque caussam. Ac si attento animo consideramus, quae de totius terrae natura, de soli, camporum et locorum ingenio docuerit B. J. III, 3, 1 sqq., quid de convalli scaturiginosa, in qua Iordanis fontes profluunt B. J. III, 10, 7. IV, 1, 1. Ant. XV, 10, 3., de lacu Tiberiadis B. J. III, 10, 8., de valle Iordanis et mari mortuo exposuerit B. J. IV, 8, 2 sq., quid de litoribus maris mediterranei portubusque prope Ptolemaidem B. J. II, 10, 2., Caesaream I, 21, 5. III, 9, 1. Ant. XV, 9, 6., Iopen B. J. III, 9, 3., vel, ut de permultis taceam singulis, quae de Hierosolymis B. J. V, 4, 1. docte et accurate scripserit: facile sentimus, Iosephum, qualia aspectu et experiundo cognovisset, talia etiam cum lectoribus suis communicasse. Immo, quanto rectius novimus quantoque diligentius, quae Iosephus tradiderit, comparamus tum cum Scripturae Sacrae et relicuorum testium antiquorum enunciatis, tum cum iis, quae recentiore tempore nobis

innotuerunt, tanto graviora evadunt testimonia et eruditionis et fidei constantiaeque dictorum [1]) scriptoris.

Quod quum ita sit, res profecto magni momenti est, interpretem in explicandis quaestionibus historicis et geographicis saepissime praepeditum esse duplici difficultate. Ac primum quidem nomino ipsa Iosephi verba, quae, ut in impressis circumferuntur, etiam nunc habent, quae desiderentur. Evenit quidem feliciter, ut post mediocrem, editionibus ad tractandum commodioribus divulgatum *Havercampianum* contextum, quo non sine rei damno prae ceteris usi sunt, qui in hoc litterarum genere elaborarunt, vir doctissimus, tam linguae graecae peritissimus, quam in arte critica gnaviter et circumspecte factitanda longe exercitatissimus, **Guilelmus Dindorfius,** [2]) edendorum Iosephi operum curam in se susciperet et pro ea, qua est, sagacitate, diligentia et assiduitate textum tum ex librorum manuscriptorum apparatu, tum suis aliorumque coniecturis emendatum aequabiliorem redderet et explanatiorem: nihilominus tamen superest, ut ad pristinam integritatem revocetur vitiorum genus, quod persaepe non tam impedit usum, quam omnem fructum, quem ex Iosephi libris litterae percipiant, in discrimen vocare vel irritum facere minitatur, dico id genus, quod cernitur in depravatis nominibus locorum propriis.

---

[1]) Ex infinito fere exemplorum numero consideres velim haec: Iosephus B. J. III, 7, 21. iuvenes memorat fortitudine insignes, Eleazarum *Σαάβ* vico Galilaeo oriundum, Netiram et Philippum *ἀπὸ Ῥουμᾶς κώμης.* Iam vero *Saab* vicus non differt, si quid video, ab hodierno *Sha'ib* (شعب) apud *Robinsonium* Palaest. III, 2. p. 883.; et *Ruma* (cf. 2 Reg. 23, 36.) etiam nunc superest *Khirbet ar-Rûmi* nomine. Rudera eius teste b. *Schultzio* (Zeitschr. d. D. M. G. III. p. 50.) in occasum versus a *Rummâneh* vico (*Pococke* Mrgl. II. p. 91. *Robinson* III. p. 432.), h. e. רִמּוֹן Ios. 19, 13., inveniuntur. — Idem B. J. III, 3, 5. vicum nominat in Samariae et Iudaeae confinio situm *Ἀνουὰθ Βορκέως,* Iudaeae terminum septentrionalem. Cfr. Eusebii Onom. p. 17. Non dubito, quin hodierno die huic vico respondeat *Burḳâ* vicus, a *Beitîn*, h. e. *Bethel*, non admodum remotus Euronotum versus, *Rob.* II. p. 325. 330. Hinc licet Iudaeae fines omni qua opus est subtilitate invenire.

[2]) Flavii Iosephi opera, graece et latine, recognovit *Guilelmus Dindorfius* Parisiis (ap. A. F. Didot) 1845. 47. 2 Voll.

Haec dum scribo, plurimum ab eo absum, ut de re, quam in medium protraxi, cum editoribus expostulem. Scio enim, quam ardua ea sit et ad diiudicandum difficilis, praesertim quum codices Iosephi manuscripti nonnisi imbecillum afferant adiumentum. Nam non ignoro, libros manuscriptos, quorum complures insuper vel melioris notae huc usque vix examinati sunt, ab hominibus plerumque mediocriter doctis linguaeque hebraeae prorsus ignaris exaratos, in tradendis nominibus incredibili fere discrepantia in diversa et contraria digredi, nec solum litteris verborum singulis commutatis, transpositis, omissis, sed etiam seiunctis syllabis iungendis, iunctisque seiungendis scriptoris verba mirum in modum ita deformata praebere, ut, qualia ab auctore profecta fuerint, persaepe nemo facile agnoscat. Quid? quod libri manuscripti vel ibi, ubi inter se concinunt, haud raro consensu suo nihil testificentur, nisi depravatae scripturae aetatem libris nostris maiorem? Quod ut exemplo probem provoco ad locum Ant. VII, 1, 3., ubi de Abnero, Isbosethi duce, narrantur haec: *βασίλειον δ' ἐποίησεν αὐτῷ τὴν κατὰ μὲν τὴν ἐπιχώριον γλῶτταν Μάναλιν, κατὰ δὲ τὴν Ἑλλήνων παρεμβολὰς λεγομένην.* Iam etsi Veteris Testamenti testimonium 2 Sam. 2, 8. non haberemus, tamen ex graeca interpretatione *παρεμβολαί* indubitatum esset, Iosephum de notissima urbe מַחֲנַיִם loqui, quam *παρεμβολάς* solet nuncupare (cf. Ant. VIII, 9, 8. 10, 1. 11, 4. 15, 1. c. I, 20, 1,), et quis est, qui imponi sibi patiatur, ipsum auctorem tritissimum vocabulum in *Μάναλιν* depravasse? Certo enim certius est, Iosephum olim ΜΑΑΝΑΙΝ (Duali numero, ut *Καρναΐν* Ant. XII, 8, 4.) scripsisse, postmodum per calami aberrationem in ΜΑΝΑΛΙΝ mutatum, licet in libris nullum supersit genuinae scripturae vestigium. Plura expetentem ablego ad extremos Antiquitatum libros comparandos cum iis, quae ab initio librorum de Bello Iudaico perscriptorum recurrunt. Ibi inveniet, libros optimae notae Ant. XIII, 15, 3. Alexandrum Iannaeum dicere urbem *Ἔσσαν* expugnasse prorsus ignotam, quam iidem libri B. J. I, 4, 8. recte *Γέρασαν* vocant; inveniet B. J. I, 4, 6. *Βεμέσελιν πόλιν,* de qua Ant. XIII, 14, 2. *ἐν Βεθόμῃ πόλει* dictum est,[3]) et id genus alia. In tanta autem librorum inconstantia et infirmitate nemo poterit ea, de quibus quaestio est, ad pristinam

[3]) Inter utrumque cogita *Βεσέμελιν* formam intercedere. ΒΕϹΕΜΕΛ autem et ΒΕΘΟΜΗ non tam sunt dissimilia, ut alterum non potuerit ex altero progredi.

revocare incolumitatem, nisi qui in investigandis rebus ad cognoscendam terram sanctam spectantibus operam suam locaverit, nec profecto mirum est, doctissimos viros aut fructum ex Iosepho, quem capere potuissent, non percepisse, aut etiam in errores nonnunquam summos esse inductos.

Deinde praetermittendum non est, interpreti multum difficultatis afferre etiam rationem, qua Iosephus ipse nomina tradenda efformaverit. Ille enim, quum ad instituendos Graecos Romanosve graeco sermone scriberet, non mediocrem curam in eo consumpsit, ut mitigatis raucioribus linguae hebraeae sonis hebraea nomina ita transformaret, ut teretibus lectorum suorum auribus suaviora fierent. Quod ut efficeret, raro tantum et invitus immutatas nominum, praesertim quae consonantibus finiebantur, formas transscripsit, studuit potius aut expulsis sonis, aut interpositis vocalibus insuavem consonantium concursum lenire, resectis, quibus nervose plerumque finiuntur hebraea vocabula, inclinamentis verborum asperitatem temperare vel additis terminationibus, ut per casus flecterentur, levare Graecisque similiora reddere. Hunc in finem עֵין רֹגֵל puteum, haud procul ab Hierosolymis ad radices montis Olivarum situm, *Ἐρωγή* Ant. IX, 10, 4. nominare, adeo *εἰς Καριαθιαρίμαν* Ant. VI, 1, 4., *πρός τινι κώμῃ Γαβαθσαούλῃ* B. J. V, 2, 1. et similia dicere non dubitavit. At vero non ubivis tam prospere cessit opera, praesertim, ubi gravius sonantes gutturales nomini graece transscribendo peculiaria attulerunt impedimenta. Ibi Iosephum tum admisso hiatu, tum iunctis consonantibus, tum alia qualibet ratione difficultatum expediendarum consilium a praesenti necessitate invenimus repetentem, verum etiam suo arbitratu tam violenter nonnunquam nomina mutantem, ut multa aegre tantum dignoscantur[4]). Huc accedit, ut Iosephus secum ipse non ubivis constiterit. Quem enim ex Evangeliis N. T.i notissimum *Καφαρναούμ* vicum non mutato nomine B. J. III, 10, 8. vocat, eum d. Vita s. §. 72. *Κεφαρνώμη* maluit nuncupare; אֲדֹרַיִם Iu-

---

[4]) Iosephus B. J. III, 2, 2. Idumaeae urbeculam, in quam Iudaei prope Ascalonem profligati confugiunt, vocat *Σάλλις*. Praeteriit hucusque viros doctos, urbeculam istam esse שַׁעֲלִים 1 Sam. 9, 4., sive *Σααλεὶμ κώμη ἐν ὁρίοις Ἐλευθεροπόλεως πρὸς δυσμὰς ὡς ἀπὸ σημείων ζ΄*, apud Eusebium Onom. p. 133 sq. — Huc pertinent permulta nomina urbium in Galilaea sitarum, quarum Iosephus passim iniicit mentionem.

daeae urbem tum integro suo nomine Ἀδωραΐμ Ant. VIII, 10, 1. significat, tum in libris de Antiquitatibus Ἄδωρα XIII, 6, 5. 9, 1. 15, 4., in libris de Bello Iudaico Ἀδωρεόν I, 2, 6. 8, 4. appellat, multaque eiusmodi alia. Quemadmodum autem haud opportune evenit, ut scriptor hac via unum nomen in duo vel tria diffissum traderet, quod minime ubivis dubitatione caret, sic vicissim haud pauca in Graecis apud Iosephum sibi sunt simillima, quae tam situ, quam hebraeis, quibus utuntur, nominibus sunt longe diversa, ut Ἀραμαθάν Ant. VIII, 12, 3. 4.[5]) i. q. הָרָמָה 1 Reg. 15, 17., Ἀρμαθά Ant. VI, 4, 1. 11, 4. 13, 5.[5]) sive Ἀραμαθὰ πόλις lib. V, 10, 2.[5]), i. q. הָרָמָתַיִם צוֹפִים Samuelis patria urbs 1 Sam. 1, 1., contra Ἀραμαθά Ant. VIII, 15, 3. i. q. רָאמוֹת urbs Galadena et alia, de quibus infra dicemus. Quanta Iosephus ipse his omnibus depravandorum a librariis nominum fundamenta iecerit, non est, quod explicemus, ultro vero apertum est, summa opus esse diligentia et in componendis rebus accuratione, ne, quem sincerum et omnium longe eruditissimum veneramur ducem, is ipse transversum ducat interpretem.

Sed haec praefati sumus. Nunc conemur nonnullis Iosephi dictis ad intelligendum paullo difficilioribus tam emendando quam explicando lucem et medicinam afferre.

Quaestio I.

Ios. Ant. XVII, 10, 6.

Pluribus locis Iosephus mentionem facit Ἀμαθοῦντος munitionis, *τῶν ὑπὲρ Ἰορδάνην* maximae, ab Alexandro Iannaeo expugnatae et dirutae, B. J. I, 4, 2. 3. Ant. XIII, 13, 5. Paullo post *ἐν Ἀμαθοῦντι* unum erat ex synedriis, quorum Gabinius ad gubernandas res Iudaeorum quinque instituerat, B. J. I, 8, 5. Ant. XIV, 5, 4. Teste Eusebio Onom. p. 9. (s. v. *Αἰθάμ,* Hieron. *Aemath*) *λέγεται καὶ νῦν Ἀμαθοῦς κώμη ἐν τῇ περαίᾳ τῇ κατωτέρᾳ Πέλλης διεςῶσα σημείοις κα' εἰς νότον,* Chalcedonensis concilii tempore episcopatu insignis (vid. *Reland.* Palaest. p. 559.).

Amathuntis ruinas *Burckhardtius* Reisen in Syrien, II. (ed. german.) p. 596., quum Scythopoli Saltum proficisceretur, invenit. Sunt eius verba

---

[5]) Sic *Dindorfius* edidit. Alii aliter legere maluerunt.

haec: „Nach 6 Stunden," h. e. postquam vado iuxta Scythopolin Iordanem amnem traiecerat, „spät in der Nacht, kamen wir rechts vor den Ruinen einer Stadt aus alter Zeit vorüber, die am Abhange des Berges steht und noch jetzt ihren ursprünglichen Namen **Amata** (اماتة). führt. Meine Gefährten (erant autem hi mercatores huius regionis peritissimi Saltenses) sagten mir, dass noch mehrere Säulen und auch einige grosse Gebäude stehen. Ein kleiner Bach fliesst hier in die Ebene hinab." Ex iis, quae sequuntur, intelligimus, *Burckhardtium* sesquihorae spatio ab *az-Zerkâ* sive Jabbok Veteris Testamenti torrente abfuisse. Igitur rivulus, prope quem *Amatae* ruinas repperit sitas, est *Wâdi-Râg'ib*, qui nomen traxit a *Ῥαγαβᾶ* castello *ἐν τοῖς Γερασηνῶν ὅροις πέραν τοῦ Ἰορδάνου*, in quo obsidendo Alexander Iannaeus supremum obiit diem, Jos. Ant. XIII, 15, 5., ac facile est ad intelligendum, Amathuntem olim conditam et munitam fuisse, ut aditum ad montes ab hostium excursionibus tueretur. Pari modo „*Amateh* — اماتة" comparet etiam in *Robinsonii* tabulis locorum, Vol. III, 2. p. 920. Rectius tamen ab indigenis scriptoribus nomen عمتا exaratum traditur, apud Edrisium (Syr. ed. *Rosenm.*) p. 8. مدينة الغور, h. e. *urbs in Iordanis valle* sita. Adstipulatur testimonium Talmudicum apud *Relandum* p. 308., quo non solum עמתו [6]) comperimus nomen, sed etiam edocemur, sic seriore tempore vocatam esse urbem, in valle Iordanis nimirum sitam, antiquitus צָפוֹן Ios. 13, 27. appellatam.

Quocum testimonio quum nihil sit, quod pugnet, profecto Amathuntis rudera situ suo sunt gravioris momenti. Nam scriptor Ios. 13, 27., recensitis, quae Gad tribui in montanis regionibus committerentur urbes, *in valle* (בָּעֵמֶק) sc. Iordanis sitas a meridie septentrionem versus progressus numerat quattuor, videlicet בֵּית הָרָם, בֵּית נִמְרָה, סֻכּוֹת et צָפוֹן, nec video, quid cogat, ut cum *Keilio* ad Iosuae librum p. 260. et b. *Winero* R. Wb. II. p. 718. arbitremur, צָפוֹן urbem meridionale Tiberiadis lacus adiacuisse litus. Iam vero בֵּית הָרָם, postmodum *Livias* vocata, satis nota est, ut infra explicabimus. Vicina בֵּית

---

[6]) עמתו et *Ἀμαθοῦς* ita fere se habent, ut *Καμοῦς, Γεφροῦς* apud Polybium V, 70, 12. comparata cum קָמוֹן Iud. 10, 5. Ios. Ant. V, 7, 6., et *Ἐφρών* 1 Macc. 5, 46.

נִמְרָה Num. 32, 3. 36., cui aquae limpidiores (מֵי נִמְרִים [7]) Ies. 15, 6. Ier. 48, 34., vid. *Gesenium* ad *Burckh.* II. p. 1062.) nomen dederunt, בית נמרין in Talmude apud *Relandum* l. c. et a Targumistis vocata, hodieque *Nimrîn* nomine superest ibi sita, ubi *Wâdi Shu'êb* ex montibus prorumpit in Iordanem (vid. *Burckh.* p. 609. 661. *Seetzen* Reisen II. p. 318. *Robins.* II. p. 523. et *Ritter* XV, 2. p. 1045.), teste Eusebio Onom. p. 38. *κώμη Βηθναβρίς, ὡς ἀπὸ σημείων ε' Λιβιάδος, ἐν βορείοις* (cf. p. 42.), Iosephi *Βηθενναβρίς*, Gadarenorum clade memorabilis, B. J. IV, 7, 4. — Ubi vero סֻכּוֹת, quae sequuntur, sitae erant? Sine dubio inter בֵּית נִמְרָה et צָפוֹן, ac si צָפוֹן, ut a Talmudista edocemur, convenit cum *Ἀμαθοῦντος* castelli situ, *Succoth* urbis reliquiae quaerendae sunt inter *Nimrîn* et *'Amatâ* ruinas, certe in orientali vallis plaga haud procul ab Iabbok torrente. Vide, quam probe haec consentiant cum iis, quae de *Succoth* situ enunciata Gen. 33, 17. cl. c. 32, 22. 30. Iud. 8, 4 sq. testificentur. Cfr. *Winer* RWb. II. p. 542. Quod cum ita sit, non possum calculum meum addere *Robinsonio* Neuere biblische Forschungen in Palästina (Berlin 1857.) p. 407 sqq. redeunti ad sententiam, *Succoth* urbem convenire cum *Sâkût*, in occidentali vallis plaga haud procul a Scythopoli sita. Ceterum eam vallis partem, in qua *Succoth* olim iacuisse credibile est, puto vadis *Dâmieh,* quibus etiam nunc uti solent, qui Neapoli Saltum proficiscuntur (*Lynch* Offic. Report. 1852. p. 28.), vicinam, parum adhuc cognitam habemus.

Iam transeo ad explicandum Iosephi dictum, quod supra in fronte posui, Ant. XVII, 10, 6. Ibi sermo est de turbis a Simone, Herodis regis olim servo, motis. Quas quum Gratus sedaret, accidit, ut *τὰ ἐπὶ τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ ἐν Ἀμαθοῖς βασίλεια* ab hominum caterva cremarentur. Igitur datur *Ἀμαθά* urbs palatiis conspicua, et quaeritur, fueritne eadem, quam Iosephus alibi *Ἀμαθοῦντα* vocaverit? Annuunt experientissimi harum rerum aestumatores, ut *Mannert* Geogr. d. Gr. u. Röm. VI, 1. p. 326., *Raumer* Palaest. p. 213., *Ritter* XV, 2. p. 1031., licet iam *Gesenius* ad *Burckh.* II. p. 1059. observaverit, nomina ipsa non similiter cadere ideoque ad diversas urbes pertinere videri.

---

[7]) Plurali numero urbem vocat propheta, ut pari modo v. 7. נַחַל הָעֲרָבִים pro נַחַל הָעֲרָבָה dicit. Ceterum quod attinet ad nominis originem, prope Hebronem etiam عين نمرة sive *fons aquae limpidae* invenitur, nec dixerim vestigium *Mamre* nominis inesse. Vid. *Rosen* in Ztschrf. d. D. M. G. XII. p. 486.

Ac primum quidem locorum diversitas certissima est. Nam Iosephus ipse B. J. II, 4, 2., ubi eandem rem narrat, perhibet, *τὰ πλησίον Ἰορδάνου βασίλεια κατὰ Βηθαράμαθον* esse combusta. Ergo non de *Amathunte* sed de *Betharamatho* sermo est. Quum autem *Βηθ-ἀράμαθον*, quod nullo modo cum *Rittero* l. c. in *Βηθαρ-ἄμαθον*, ut propius ad *Ἀμαθοῦντα* accedat, dissecare licet, praescindi quidem et in *Ἀραμαθόν* mutari (ut *Βηθμαούς* et *Ἀμμαοῦς* iuxta se posita inveniuntur Ios. d. Vit. §. 12. B. J. IV, 1, 3.), minime vero in *Ἀμαθόν* sive *Ἀμαθά* formam cogi possit, per se apertum est, illo Antiquitatum loco *ἐν Ἀμαθοῖς* scripturam mendo laborare, ita resarciendam, ut *ἐν Ἀραμαθοῖς* in verborum consequentia ponatur.

Deinde quaeritur, ubi *Βηθαράμαθον* urbs sita fuerit? *Relandus* l. c. p. 560. cum *Havercampio* ad Iosephum I. p. 858. cogitabant de רָאמוֹת, regionis Galadenae quondam capite, ibi olim sito, ubi nunc *aṣ-Ṣalt* invenitur, ut iam *Gesenius* ad *Burckhardtium* II. p. 1061. satis probabiliter coniecit. Ac profecto negari nequit, Iosephum *Ramoth* urbem solere simillimis aut *Ἀραμαθά*, aut *Ἀραμάθη* (h. e. singulari numero) Ant. VIII, 15. 3. IX, 6, 1. nominibus vocare, quibus uno loco Ant. IV, 7, 4. accedit *Ἀρίμανον*, aperte tamen mendosum, ex *Ἀρίμαθον*, nisi mavis *Ἀραμαθόν* corrigere, ortum. Nihilominus tamen haec nonnisi externam nominum, graece efformatorum scilicet, speciem communem habent. Nam רָאמֹת (*Ἀραμαθά*) in montium Galadenorum iugo sitae, longe aberant ab Iordanis valle, in qua *Βηθαράμαθον* teste Iosepho l. c. *πλησίον Ἰορδάνου* inveniebatur. Sed ut paucis dicam, quid sentiam, res ipsa nulla laborat difficultate. Nam *Βηθαράμαθον* ex asse respondet hebraeo nomini בֵּית הָרָם, quo urbem vocabant earum, quae Gad tribui in Iordanis valle committebantur, in meridiem versus extremam Ios. 13, 27. Num. 32, 36. (vid. supra p. 8.), non multum tam ab *Ἄβιλα* Ios. B. J. II, 13, 2. IV, 7, 6., h. e. אָבֵל שִׁטִּ ם Num. 33, 48. 25, 1. Ios. 2, 1., quam a *Βησιμώθ* Ios. B. J. IV, 7, 6., h. e. בֵּית הַיְשִׁימוֹת Num. 33, 49. Ios. 12, 3. 13, 20. distantem. Teste Eusebio Onom. p. 39. eadem *παρὰ Συρίοις* vocabatur *Βηθραμφθά*, nec solum apud Iosephum Ant. XVIII, 2, 1. *Βηθαραμφθά* recurrit, sed etiam Talmudico scriptore apud *Relandum* p. 308. edocemur, בֵּית הָרָם urbem Veteris Testamenti a serioribus בית רמתא nuncupatam esse. Hic igitur non *Amathunte* palatia erant seditione vastata.

Praeterea Iosephus Ant. XVIII, 2, 1. testis est, Herodem Antipam *Betha-*

ramphtha urbem moenibus cinctam in honorem Liviae, Caesaris Augusti coniugis, appellavisse. Sic extincto antiquiore nomine suo urbs postmodum aut *Λιβιάς* (*Λειβιάς*) aut *Ἰουλιάς* vocabatur. Nam *Livia* testamento defuncti imperatoris Augusti in familiam Iuliam assumpta *Iulia* nominabatur, plerique patrum, pro ea, qua erant in Augustam adulatione, ut Tiberii Caesaris nomini ascriberetur „*Iuliae filius*" censebant, Tac. Ann. I, 8. 14. Quam ob rem in nummis Iudaeorum inde ab anno Tiberii primo usque ad annum decimum sextum, quo vita decessit Livia, imperatrix mater nonnisi *Ἰουλία* vocata invenitur (vid. *Cavedoni* Biblische Numismatik, übers. von *A. v. Werlhof*, 1855. p. 65 sq.) et pari modo Iosephus non solum imperatricem semper *Ἰουλίαν* Ant. XVI, 5, 1. XVII, 1, 1. 6, 1. 8, 1. B. J. I, 28, 6. 32, 7. 33, 8., Ant. XVIII, 2, 2. B. J. II, 9, 1., sed etiam urbem, quae ab ea nomen habebat, *Ἰουλιάδα* Ant. XVIII, 2, 1. XX, 8, 4. B. J. II, 13, 2. IV, 7, 6., addito *τῆς Περαίας* vel *κατὰ τὴν Περαίαν* ab notissima altera in honorem Augusti filiae vocata Iuliade distinctam, nuncupare maluit. Certe *Λιβιάς* nomen semel tantum occurrit apud Iosephum Ant. XIV, 1, 4., nisi licet coniicere, in *Λέμβα* XIII, 15, 4., quod nemo novit, vocabulo depravatum *Λειβιάς* nomen latere. Attamen hic urbem significandi mos, ut videtur, certis quibusdam scriptoribus magis proprius, quam usu et consuetudine receptus, mox exolevit. Nam Strabo XVI. p. 763., Plinius N. H. XIII, 9., Ptolemaeus V, 16, 9., Eusebius Onom. p. 38. 39. aliique rerum christianarum scriptores, quorum testimonia congessit *Relandus* p. 874 sq., urbem nonnisi *Λιβιάς* vocatam norunt.

Sed etiam Liviae extincta est memoria. Livias enim urbs, palatiis regiis quondam et episcopali ecclesia illustris, ut omnes relicuae urbes in Iordanis valle sitae olim florentes et copiosae, vastata nunc iacet. Praeteritorum tamen temporum memoriam rudera nomine, quo vocantur, servarunt. Nam dubium esse nequit, quin *Râmeh* (رامة) ruinae, quas *Burckhardtius* II. p. 661. memorat, tam situ quam ipso nomine conveniant cum הָרָם (בֵּית) Veteris Testamenti.

Quaestio II.

Ios. Ant. XIII, 15, 4.

Rebus ab Alexandro Iannaeo feliciter gestis evenit, ut Iudaei haud exiguam partem locorum, quos olim patres possederant, sub suam redigerent potestatem. Potiora Iosephus loco supra excitato recenset his verbis:

Κατὰ τοῦτον δὲ τὸν καιρὸν ἤδη τῶν Σύρων καὶ Ἰδουμαίων καὶ Φοινίκων πόλεις εἶχον οἱ Ἰουδαῖοι, πρὸς θαλάσσῃ μὲν Στράτωνος πύργον, Ἀπολλωνίαν, Ἰόπην, Ἰάμνειαν, Ἄζωτον, Γάζαν, Ἀνθηδόνα, Ῥαφίαν, Ῥινοκούρουραν· ἐν δὲ τῇ μεσογείᾳ κατὰ τὴν Ἰδουμαίαν Ἄδωρα καὶ Μάρισσαν καὶ Σαμάρειαν, Καρμήλιον ὄρος καὶ τὸ Ἰταβύριον ὄρος, Σκυθόπολιν, Γάδαρα, Γαυλανίτιδα, Σελεύκειαν, Γάβαλα, Μωαβίτιδας Ἐσσεβὼν, Μήδαβα, Λέμβα, Ὀρώνας, Τελίθωνα, Ζᾶρα, Κιλίκιον αὐλῶνα, Πέλλαν.

Ad enodandas difficultates, quae in his Iosephi verbis inveniuntur, haud paucas et ad emendanda librariorum erroribus depravata ante omnia animum advertamus necesse est ad rationem, qua scriptoris progrediatur enumeratio.

Ac primum quidem Iosephus *πρὸς θαλάσσῃ* h. e. maris mediterranei litora adiacentibus oppidis inde a *Turre Stratonis*, cuius loco, ut inter omnes satis constat, Herodes *Caesaream Palaestinae* aedificabat, usque ad *Rhafiam* et *Rhinocoluram* in extremis Aegypti finibus sitas, opponit ea, quae *ἐν τῇ μεσογείᾳ* invenirentur. In enumerandis autem urbibus, in mediterraneis sitis, egreditur scriptor a meridionalibus *κατὰ τὴν Ἰδουμαίαν*, ea nimirum nominis potestate dictam, qua seriore tempore maiorem Iudaeae meridionalis partem complectebatur, 1 Macc. 5, 3. 65. Ios. B. J. IV, 9, 7. Ant. XIII, 6, 5. Ptolem. V, 16, 10. Ex urbium numero vocat duas: *Ἄδωρα*, h. e. אֲדוֹרַיִם 2 Chron. 11, 9. 1 Macc. 13, 20. Ios. Ant. VIII, 10, 1. B. J. I, 2, 6. (de nomine vide supra p. 6 sq.), et *Μάρισσαν*, h. e. מָרֵשָׁה 2 Chron. 11, 8. Jos. 15, 44., inter Hebronem et Asdodum sitam 1 Macc. 5, 65 sqq. Ios. Ant. XII, 8. 6. XIV, 4, 4. 5, 3., captas iam ab Hyrcano, qui subactis Idumaeis in regione sua manere permisit, si pudenda circumcidere Iudaeisque legibus uti vellent, Ios. Ant. XIII, 9, 1. Deinde a meridionalibus progreditur scriptor septentrionem versus ad *Sama-*

riam[8]), cui *Carmelum* et *Itabyrium* (h. e. תָּבוֹר, *Winer* RWb. II, p. 595.) montes et *Scythopolin* (i. q. *Beisân*) urbem in Iordanis valle sitam, quibus *τὸ μέγα πεδίον* Esdrelom terminabatur, addit transmissoque flumine *Gadaris* (h. e. *Um Keis*) ascendit ad altiora, quae orientem versus adiacent Iordanem in Hieromiacis (*Iermuk*) torrentis vicinia. Inde in septentrionem spectans numerat *Gaulanitidas* urbes, quibus meridiem versus sitas *Moabiticas* opponit.

Quae si attento consideramus animo, omnia, quae dubitationem movere posse videantur, tum ultro perspiciuntur, tum arctioribus finibus circumscripta comparent. Nam

1) ubi *Γαυλανίτιδα* vocat Iosephus, ibi minime singulam urbem, quam *Γαύλανα* nuncupat Ant. XIII, 15, 3., in mente habet, sed provinciam, quam scimus olim in superiorem et inferiorem divisam fuisse, B. J. IV, 1, 1. At vero ad Gaulanitidem ipsam pertinent oppida Seleucia et Gabala, quorum scriptor subiicit memoriam illi. Ergo *Γαυλανίτιδα* in hac verborum consequentia ferri nequit, nec dubito, quin restituta *Σ* littera ante *Σ* litteram a librariis omissa *Γαυλανίτιδας Σελεύκειαν, Γάβαλα* legatur, similiter atque pergit Iosephus verbis *Μωαβίτιδας Ἐσσεβών* et quae sequuntur.

Gaulanitidarum urbium, quarum plures potuisset afferre, duas tantum nominat, nec hoc sine iusta caussa. Quas enim enumerat, eae in extremis Gaulanitidis finibus septentrionalibus et meridionalibus sitae erant. — a) *Σελεύκεια*, ab Alexandro Iannaeo expugnata Ios. Ant. XIII, 15, 3. B. J. I, 4, 8., una cum *Σωγάνῃ* vicina ab Iosepho, quum bellum cum Romanis instaret, munita d. Vit. §. 37. B. J. II, 20, 6., in Gaulanitide superiore *πρὸς τῇ Σεμεχωνιτῶν λίμνῃ*, sive מֵי מֵרוֹם Ios. 11, 5. 6. (nunc *Bohairet al-Ḥûleh*) posita erat, B. J. IV, 1, 1. Contermina vero, septentrionem versus adiacens terrae pars, *μεταξὺ τοῦ Τράχωνος καὶ τῆς Γαλιλαίας* sita, quam Iosephus *Οὐλάθαν καὶ Πανιάδα* (h. e. *Ḥûleh*,[9]) nomen hodieque usitatum, et *Paneas* sive *Caesarea Philippi*, nunc *Bâniâs*) vocat, Alexandri Iannaei tempore Iudaeis non paruit. Pertinuit

[8]) Cod. Lugd. Bat., lectionum bonitate maxime commendatus, praebet: *ὅλην Ἰδουμαίαν καὶ Σαμάρειαν*, quod tam loco Ant. XIII, 9, 1. quam re ipsa habet, quo in animum se insinuet.

[9]) *Οὐλάθαν*, cuius integritatem *Mannert* Geogr. d. Gr. u. R. VI, 1. p. 309. aliique addubitant, tam situ quam nomine cum حُولة convenire, paucis exposui in annotatione, quam *Haenelii* itinerario adieci, Zeitschr. d. D. M. G. II. p. 428.

enim ad *οἶκον τοῦ Λυσανίου*, post Zenodori demum mortem Herodi a Caesare donata, Ios. Ant. XV, 10, 3. Igitur *Seleucia* in hac regione extrema erat urbs, Iudaeorum ditioni subiecta. Adiungit Iosephus — b) *Γάβαλα*. Sine dubio *Γάμαλα* castellum, in Gaulanitide inferiore situm Ios. B. J. IV, 1, 1., in animo habet, ab Alexandro Iannaeo captum Ant. XIII, 15, 3., postmodum ab ipso Iosepho munitum B. J. II, 20, 6., a Vespasiano expugnatum, ib. IV, 1, 1 sqq. Ceterum satis probabiliter iam *Havercampius* praeeunte *Norisio* coniecit, Iosephum etiam loco, de quo nunc est quaestio, *Γάμαλα*[10]) scripsisse.

Sequuntur — 2) oppida in Moabitide sita. Non immoror explicandis, quae in vulgus nota sunt. Nam nemo ignorat — a) *Ἐσσεβών*, sive חֶשְׁבּוֹן Num. 21, 26. 32, 37. Ios. 12, 2. Ies. 15, 4. 16, 9. al., Ptol. V, 17, 6.; et — b) *Μήδαβα*, sive מֵידְבָא Num. 21, 30. Ios. 13, 9. 16. Ies. 15, 2. 1 Macc. 9, 36. cl. c. Ios. Ant. XIII, 1, 2. 4. 9, 1., Ptol. V, 17, 6., urbes dirutas quidem, tamen etiam nunc suis nominibus vocatas, *Seetzen* Reisen I. p. 407. *Burckhardt* II. p. 623 sq. — c) *Λέμβα* nomen aut corrigendum est, ut supra p. 11. indigitavi, aut situ ignotum. Quae — d) sequuntur *Ὀρῶναι*, eae conveniunt cum חֹרֹנַיִם Ies. 15, 5. Ier. 48, 3. 5. 34., haud procul ab angustiis (מַעֲלֵה הַלּוּחִית) inter Areopolin (עָר מוֹאָב) et Mare mortuum interiectis, *Ὡρονάειμ πόλις Μωάβ* apud Eusebium Onom. p. 122. cl. c. p. 24. Igitur res ipsa non versatur in ambiguitate. Non item scriptura. Nam pro iis, quae nunc sunt in impressis, in libris manuscriptis apud *Havercampium* comparent nomina: *Ὄρων*, *Αἶμα*, et etiam loco Ant. XIV, 1, 4., quo *Ὀρῶναι* recurrunt, in libris *Ὀρῶν*, *Λιγμᾶ* vel similia traduntur, mendosa quidem, ita tamen comparata, ut iis liceat cognoscere, Iosephum olim *Ὀρωναΐμ* scripsisse, utroque loco, si quid video, restituendum. Tales Dualis numeri formas non abhorrere ab Iosephi loquendi consuetudine, exemplis *Ἀδωραΐμ* Ant. VIII, 10, 1., *Δωθαΐμ* ib. IX, 4, 3., *Ἐφραΐμ πολίχνιον* B. J. IV, 9, 9. probatur. — Iam quaerentibus nobis de oppido, quod — e) Iosephus *Τελίθωνα* vocat, omnino non haberemus, quod in investigando nomine prorsus ignoto frustra desudaremus, si indubitata esset scripturae fides. At vero iam *Havercampio* placuit, *Γελίθωνα* formam recipere, librique manu-

[10]) Possit quispiam arbitrari, *Γάμαλαν* corrigendum esse, quia Iosephus *Γάμαλα* nomen Singulari numero dictum usurpare solet. Sed Iosephus omnino in hisce sibi non ubivis constat. Cf. *Μήδαβα* nomen, quod sequitur.

scripti tam varia ac paene portentosa tradunt nomina, ut nihil certius sit, quam ut genuinae scripturae frusta tantum ac ramenta circumferantur. Iuvat igitur, in revocanda ad pristinam integritatem scriptura operam ponere. Duces sint optimi libri. Iam Codex msc. Lugdunensis Bat., quem supra p. 13. dixi lectionum bonitate prae ceteris esse eximium, pro *Τελίθωνα* praebet *Ματαὶ*, *Λαιθωνά* nomina, depravata profecto et mirifice deformata, a vero tamen non tam remota, ut ex iis nequeamus quae Iosephus scripserit agnoscere. Nam ut paucis dicam, quid ea de re iudicem, sine dubio *M* littera, qua orditur *Ματαί* vocabulum, pertinet ad antecedens nomen, ita ut etiam Codex Lugd. *Ὀρωναΐμ* scripturam suo pondere augeat et commendet. Quae supersunt litterae ΑΤΑΙΛΑΙΘΩΝΑ, librariis obscurae et ab iisdem corruptae maleque dispertitae, eae dividuntur correctis simul corrigendis in duo nomina: ΑΓΑΛΛΑ et ΑΘΩΝΑ. Stabilitur haec mea coniectura re ipsa. Nam — (1) *Ἄγαλλα* oppidum Iosephus memorat Ant. XIV, 1, 4. Sic vocat Moabiticam עֵין עֶגְלַיִם Ez. 47, 10., אֶגְלַיִם Ies. 15, 8., *Αἰγαλεὶμ κώμην* Eusebii Onom. p. 24., ad austrum Areopoli distantem octo lapidibus. — (2) *Ἄθωνα* recurrit apud Iosephum Ant. l. c. *Ἀθώνη* forma, a Ptolemaeo V, 17, 5. *Θάνα* vocata et cum *Zoara* iuncta, in Tabula Peutingeriana mendose *Thorma* pro *Thoana* dicta, probabiliter ab hodierna ضانة *Burckh.* II. p. 688. *Robins.* III, 2. p. 860. non diversa. — Sequitur oppidum — f) *Ζᾶρα* vel *Ζαρᾶ* vocatum. Vix longiore opus esset disputatione, nisi interpretes rectam rei explicandae rationem conturbassent. *Gesenius* enim ad *Burckh.* p. 501. satis confidenter asseverat, Iosephum *Ζᾶρα* nomine urbem *Zora'* (زرع) in Auranitide (*Ḥôrân*) sitam, ab aliis *Ezra* vocatam, intelligere, cuius memoriam profecto ad Ptolemaei usque aetatem obtinere possumus. Ille enim *Zoram* lib. V, 17, 7. *Ἄδρα* nuncupat, eodem quidem *Ἄδρα* nomine, quo lib. V, 15, 23. veterem etiam אֶדְרֶעִי Num. 21, 33 sqq., h. e. اذرعات[11]) Abulf. p. 252., Edrisi p. 11., Tebrizi ad Ḥamâsam p. 177., vocat, situ tamen recte et aperte ab ea distinctam. Deinde inscriptione in urbis ruinis a *Seetzenio* (I. p. 85.). *Ottone de Richter* (Wallfahrten im Morgenlande p. 556.), *Buckinghamio* (Trav. among the Ar. trib. p. 274.) reperta, a *Gesenio* ad *Burckh.* p. 501., *Franckio* Richtersch. Inschriften p. 140., *Franzio* in *Boeckhii* Corp. Inscr. III. N. 4562., *Krusio* ad *Seetz.* IV. p. 56. ex-

---

11) Diversa confundit *Ritter* XV, 2. p. 853. 860.

plicata, in qua oppidi incolae *Ζοραουηνοί* vocantur, edocemur, nomen medio aevo tam apud Arabes quam apud Cruce signatos usitatum زرع (Abulf. p. 259., Merâss. al-ittil. I. p. 328. s. v. حوران), *Zora* (*locus celeber et famosus — qui a Damascena non multum distat urbe*) Guil. Tyr. XXII, 20. simul esse nomen oppidi vetus. *Zorae* in Bibliis sacris quidem nulla fit commemoratio. Quum tamen credibile sit, urbem ipsam iam Alexandri Iannaei temporibus exstitisse et copiosam fuisse, in eandem cum *Gesenio* abierunt sententiam *Raumer* Palaest. p. 218., *Ritter* XV, 2. p. 861., alii. At vero via, quam *Gesenius* olim praeivit, in errorem lapsi sunt laudatissimi viri. Pugnat enim sententia illa tam cum rerum gestarum memoria, quam cum ipsis Iosephi verbis. Iam quod attinet ad rerum gestarum memoriam, prorsus ignotum est, Iudaeos Alexandri Iannaei aetate in Auranitidem satis remotam arma sua tulisse ibique urbes munitas sub suam potestatem redegisse, praesertim quum Iosepho teste Ant. XV, 10, 1 sqq. B. J. I, 20, 1 sq. sciamus, Auranitidem, una cum Trachone et Batanaea, Herodi demum a Caesare datam, antea partem fuisse praefecturae Zenodori. Deinde tantum abest, ut *Gesenius* recte observaverit, Iosephum hoc loco plures *Zorae* in Auranitide sitae vicinas [12]) urbes enumerare, ut, quas revera nominaverit scriptor, iis arguatur, *Ζᾶρα* oppidum in Moabitide, non in Auranitide, quaeri deberi, nec solum in Moabitide, sed in Maris Mortui etiam vicinia, quum *Κιλίκιος αὐλών* [13]), quidquid sit, in profunda valle *al-Ghôr* locum suum habuerit, necesse sit. Quod si diligenter observamus, nihil proclivius est, quam ut restituamus oppidi nomen ab Iosepho olim scriptum, licet libri manuscripti adiumento non sint, nempe *Ζώαρα*, h. e. צֹעַר Veteris Testamenti, notissima urbs (Ptol. V, 17, 5.), quae sola in hac op-

---

[12]) *Gesenii* errorem auget *Ritter* l. c. p. 861., ubi coniicit, *Μητροκωμία* vicum, cuius mentio fit in Notitia Eccles. apud *Relandum* p. 217., ad Eparchiam Palaestinae tertiae pertinentem, posse cum *Zora* Auranitica, utpote quae in inscriptione *μητροκωμία Ζοραουηνῶν* vocata sit, convenire, vel etiam *Ζώορα*, ibidem commemoratam, *Zoram* significare autumat. Non enim cogitavit vir incomparabilis, Auranitidem nullo tempore partem Palaestinae tertiae, quam vocarunt, fuisse, sed ad Eparchiam Arabiae pertinuisse. Deinde nemo dubitabit, quin altero loco mecum *Ζώαρα* pro *Ζώορα* legat, quam scimus Palaestinae tertiae annumeratam esse, vid. *Reland.* p. 215. lin. 14.

[13]) De *αὐλών* vocabuli potestate geographica vide Eusebii Onom. p. 29.

pidorum Moabiticorum enumeratione locum habere potest. Iosephum *Ζώαρα* vocabulum plurali numero dictum cogitare, intelligitur ex verbis *μέχρι Ζοάρων τῆς Ἀραβίας*, B. J. IV, 8, 4.

Quae hucusque disputavimus, iis commode adstipulatur ipse Iosephus Ant. XIV, 1, 4., ubi narrat, Hyrcanum Aretae, Arabum regi, promisisse, se, si in Iudaeam reductus et Areta auxiliante in regnum restitutus esset, regionem et duodecim urbes, quas pater ipsius Alexander Iannaeus Arabibus eripuisset, redditurum, nempe *Μήδαβα, Λιβιάς, Ἄγαλλα, Ἀθώνη, Ζώαρα, Ὀρῶναι* (*Ὀρωναΐμ*), alias. Quo arctiore autem rerum narratarum vinculo hic locus cohaeret cum illo XIII, 15, 4., ubi de finibus ab Alexandro Iannaeo propagatis sermo est, eo firmiora ipsius Iosephi testimonio comparent, quibus coniecturae nostrae nitantur, fundamenta.

Denique superest, ut diligentius inquiramus in rationem, qua scriptor

3) *Πέλλαν* adiunxerit Moabiticarum urbium numero. Quid? Eratne olim in Moabitide *Pella* urbs, ab illa, quam in Peraea sitam novimus, distinguenda? Annuit huic *Relandus* p. 101. 924. At vero noli praetermittere, Iosephum Ant. XIV, 1, 4. *Pellam* non commemorare, licet eam silentio praeterire vix potuisset, si *Pella* in Moabitide sita exstitisset. Accedit, quod nihil de *Pella* Moabitica aliunde nobis innotuerit. Denique quum in discrimine non amplius versetur, apud Iosephum Ant. XIV, 3, 2. non *Πέλλης*[14]), sed *Ἀβίλης* (h. e. *Ἄβιλα Λυσανίου*) legendum esse (nam quod *Rittero* XV, 2. p. 1027. proponere placuit, id vereor ne nemini persuadeat), omnino in his terrae regionibus unam tantum novimus *Pellam*, nimirum Pellam (Ptol. V, 15, 23.), aquis divitem Decapolitanam Plin. N. H. V, 16. Epiph. adv. haer. I. p. 123. Euseb. Onom. p. 61., in septentrionalibus Peraeae finibus Ios. B. J. III., 3, 3., haud procul ab *Ἀρβηλὰ κώμη* (nunc *Irbid*) Euseb. Onom. p. 21. et a Scythopoli Ios. Ant. XIV, 4, 4. B. J. I, 7, 7. II, 18, 1. in via publica, qua Scythopoli transmisso Iordane in Peraeam tendere solebant Ios. Ant. XIV, 3, 4. B. J. I, 6, 5. Polyb. V, 70, 12., sitam, ab Amathunte castello, nobis noto (vid. supra p. 8.), viginti uno miliaribus ad septentrionem Euseb. l. c. p. 9., ab *Ἰάβις* sive *Ἰαβεῖς Γαλαάδ*, h. e. יָבֵשׁ Iud. 21, 6 sqq. (cf. Ios. Ant. VI, 5, 1.), urbe sita in monte, quo transito Pella Gerasam (nunc *Gerásh*, cf. Fulcher. Carnot. in

---

[14]) Vide commentationem meam de *Μαισαλὼθ ἐν Ἀρβήλοις*, 1853. p. 12.

Gesta Dei p. Fr. p. 431., Guil. Tyr. XII, 16.) proficiscuntur, sex m. p. remotam. Euseb. l. c. p. 27. 91., Toparchiae caput Ios. B. J. III, 3, 5., notissimum Christianorum Hierosolymitanorum perfugium Euseb. H. E. III, 5. Epiph. de pond. et mens. XV. p. 171. et episcoporum sedem usque ad saeculum p. Chr. n. sextum, *Reland.* p. 215. 226. *le Quien* Oriens Christ. III. col. 697. Urbem celeberrimam, frustra variis locis quaesitam, sagacissime recognovit *H. Kiepert* (Karte von Palästina, herausgeg. v. Ritter, 1842.) in *Ṭabakât Faḥîl* (puto *Fuḥêl* deminutivi forma) ruinis, in Wâdi Jâbis (יָבֵשׁ) vicinia ab *Irby* et *Mangles* (cf. *Robins.* III, 2. p. 920. *Williams* Holy city, ed. pr. I. p. 127.) repertis, recognitam investigatis ruderibus firmavit[15]) *Robinsonius* Neuere Bibl. Forschungen p. 420 sqq., suoque loco in splendidissima terrae tabula (Map of the holy Land, Gotha 1858.) consignavit qui *Robinsonium* comitabatur *Van de Velde*, cf. eiusd. Reise durch Syrien u. Palästina II. p. 305 sqq., *Ritter* XV, 2. p. 1023 sqq. Medio etiam aevo, quod *Robinsonium* fugisse videtur, superest Pellae memoria. Nam urbs *Fiḥl* (فحل), Iordanis valli imminens a *Beisân* sive Scythopoli non multum distans, Graecorum clade forsitan duplici, quum Arabes Omaro regnante Syriam subiugarent, memorabilis (*Weil* Geschichte der Chalifen I. p. 46 sq., *A. de Kremer* Mittelsyrien und Damascus, 1853. p. 17 sq. 24 sq., Merass. al-itt. II. p. 336. et *Juynboll* ad l.), a *Pella* non est diversa. Quo certius autem his omnibus arguitur, *Πέλλα* nomen ex פחלא natum esse eadem ratione, qua intercedente gutturali sono *Σάλλις* Ios. B. J. III, 2, 2. ex שַׁעֲלִים 1 Sam. 9. 4., *Κίλλα* Ios. Ant. VI, 13, 1. ex קְעִילָה 1 Sam. 23, 1., *Ἰεσσά* Euseb. Onom. p. 93. ex יַהְצָה Ies. 15, 4. aliaque multa prodiisse invenimus, eo minus persistendum est in sententia, saepe in hunc usque diem (*Stanley* Sinai and Palestine, 1856. p. 330. *v. de Velde* Memoir, 1858. p. 339.) recocta, *Pellam* in Peraea sitam in memoriam Pellae Macedonicae nomen accepisse. Loci aetatem nescimus. In Scriptura Sacra non commemoratur.

Sed redeamus ad id, unde egressi sumus. Iam quum omnibus, quae hucusque fusius disputaverimus, nemini facile dubium superesse possit, quin Io-

---

[15]) Quae vir honoratissimus *Fr. C. H. Kruse* ad *Seetzenium* IV, p. 199 sq. nuperrime contramonuit, iis nequeo calculum meum addere. Rem ipsam alio loco pertractare in animo est.

sephus etiam loco, de quo loquimur, *Pellam* in Peraea sitam in mente habuerit, redit quaestio, quibusnam rationibus motus eam una cum urbibus Moabiticis enumeratam in fine omnium posuerit? Quid? Num forte sunt, qui transpositis verbis *Πέλλαν* post *Γάδαρα* inserere velint? Equidem certe eos, si qui sunt, non sequar. Nam res, si quid video, ita se habet: Iosephus, quum in enumerandis oppidis *Pellae* nomen eo poneret, ubi etiam nunc est, minime situ urbis permotus, sed eam ob caussam ultimum elegit locum, quod Pellae verba: *ταύτην δὲ κατέσκαψαν οὐχ ὑποσχομένων τῶν ἐνοικούντων εἰς τὰ πάτρια τῶν Ἰουδαίων ἔθη μεταβαλέσθαι,* ad solam Pellam, non ad relicuas, spectantia addere, non vero iis enumeratarum urbium seriem interrumpere voluit. Hinc igitur nihil sequi ad infringenda, quibus supra usi sumus, argumenta, per se apertum est. Ceterum non debeo silentio praeterire, Codicem Lugdunensem in verbis ab Iosepho Pellae adiectis non *κατέσκαψαν* continere, sed *κατέσκαψεν*, sc. Alexander Iannaeus. Pellam autem revera ab Alexandro Iannaeo expugnatam et a Pompeio demum liberatam civibusque indigenis redditam esse, testificatur Iosephus B. J. I, 4, 8. 7, 7.

Quaestio III.

Ios. Ant. XX, 1, 1.

Cuspius Fadus, ubi Claudii Caesaris tempore procurator veniebat in Iudaeam, offendit Iudaeos Peraeam inhabitantes seditionem movisse *πρὸς Φιλαδελφηνοὺς περὶ ὅρων κώμης Μιᾶς λεγομένης*, in qua multi erant viri bellicosi. Immo Peraeae incolae, insciis primoribus eorum, arma ceperant multosque Philadelphensium occiderant. Haec Iosephus l. c.

Explicandae *Philadelphiae* (Ptol. V, 15, 23.), quae olim, ut in vulgus notum est, רַבַּת בְּנֵי עַמּוֹן nomine Ammonitarum caput erat 2 Sam. 11, 1. 12, 27. Polyb. V, 71, 4. 11., describendisque ruinis splendidis non immoror. Vide *Ritterum* XV, 2. p. 1145 sqq. Philadelphiae vicinum fuisse *Mia* vicum, ex rerum narratarum nexu apertum est, et quum Philadelphia ipsa in extremis Peraeae finibus versus orientem sita fuerit Ios. B. J. III. 3, 3., *Miam* autem Iudaei inhabitaverint, facile intelligimus, vicum, de quo est quaestio, Philadelphiae in occasum versus positum olim fuisse.

Quum vero *Μιὰ* nomen esset prorsus ignotum, iam pridem rerum necessitate movebar, ut coniicerem, Iosephum *κώμης Ζιᾶς* potius scripsisse, quod ab *Havercampio* etiam, ut nunc video dum eius evolvo editionem, propositum est. Certe dabatur *Ζία κώμη*, teste Eusebio Onom. p. 159. *ὡς ἀπὸ ιε΄ σημείων Φιλαδελφίας ἐπὶ δυσμάς* sita. Iam quum Eusebius l. c. p. 129. testificetur, *Ῥαμώθ*, urbem Galadenam, quam cum hodierna *aṣ-Ṣalt* urbe convenire supra p. 10. vidimus, etiam *ὡς ἀπὸ ιε΄ σημείων Φιλαδελφίας πρὸς δυσμάς*, non „*contra Orientem*," ut Hieronymus errore nescio quo perhibet, esse remotam, eo licet coniicere, *Zia* vicum haud procul ab urbe *Ṣalt* quaerendum esse. Ac profecto septentrionem versus ibi etiam nunc inveniuntur ruinae *Zî* (زى) vocatae apud *Seetzenium* I. p. 395., *Robins.* III, 2. p. 921., a *Kieperto* et *Zimmermanno* in tabulis recte consignatae. Sine dubio pertinent ad *Zία* vicum, seditionis olim sedem, de qua Iosephus loquitur.

Denique superest, ut triplici quaestioni, a viro doctissimo ac de cognoscenda terra sancta meritissimo, *Carolo Raumero*, Palaest. p. 235. propositae, momentum facere conemur :

1) quaerit *Raumerus*, num יֶקֶב זְאֵב Iud. 7, 25. eadem sit atque *Ζήβ* (*Ζήμ*), apud Eusebium Onom. p. 159. *πόλις Ἀμμάν*? Respondeo, id in discrimine non versari, quum id ipsum sit, quod Eusebius voluerit, licet errore, quo Hieronymus etiam tenetur, dixerit, *Zeb* apud Ieremiam vatem inveniri. Quodsi vero *Raumeri* sententia haec est, ut quaerat, num זְאֵב conveniat cum *Ζία*, quae Eusebio videtur a *Ζήβ* non diversa esse, tunc refragor, quia זְאֵב et زى nomina nil nisi unum consonantem sonum habent commune, praeterea sibi sunt dissimillima. Deinde *Ζήβ* urbem Eusebii aetate superstitem fuisse, id scriptoris verba nullo modo testificantur. Nam *Ζήβ* Eusebio nonnisi ex graeco Bibliorum contextu Septuaginta virorum innotuit, aliunde nomen non novit. Testimonio id ipsum est, quod *Ζήβ* (effer *i* vocali) cum *Ζία* vico convenire, nonnisi sua eaque admodum audaci coniectura usus ac remota quadam sonorum similitudine ductus, ne dicam deceptus, autumet, similiter atque veteres (cf. Euseb. p. 80.) adeo *Γαΐ* nomen, quo Septuaginta interpretes hebraeum עִיֵּי, עִיִּים Num. 33, 44 sq. transscribere studuerunt, in *Gaia* vico Edomitico, etiam nunc *al-G'î* (الجى) non multum a Petra in Valle Mosis (وادى موسى) distante, recognovisse satis incogitanter sibi visi sunt (vide me in Zeitschr. d.

D. M. G. I. p. 179.) aliaque multa, quae fundamento et ratione carent, inveniuntur.

Deinde — 2) revocato in memoriam loco Iosephi Ant. V, 7, 12., ubi de Iephtha iudice mortuo et sepulturae dato narrantur haec: *αὐτὸς δὲ τελευτᾷ καὶ θάπτεται ἐν τῇ αὐτοῦ πατρίδι Σεβεῇ· τῆς Γαλαδηνῆς δ' ἐςὶν αὕτη,* quaerit vir doctissimus, num forte *Sebea* a *Zeb* non sit diversa? Nec huic coniecturae annuo. *Sebea* enim ubi sita olim fuerit non prorsus ignoramus. Nam non dubito, quin ad *Sebeam* Iosephi pertineant ruinae *Um adh-Dhebâ'a* (ام الضباع) vocatae, quarum inter *al-Merâzi* (المرازى), *al-G'ubeihâ* (الجبيها), *Jâg'us* (ياجوس) vicos sitarum in *Robinsonii* locorum tabulis III, 2. p. 922. mentio fit. Vicos autem modo nominatos *Burckhardtius* II. p. 618. repperit, quum Philadelphia (*'Ammân*) Fuheisam rediret. Ceterum nomen ipsum, quod *hyaenarum matrem* signat, ex vetere צָבוּעַ, צְבֹעִים natum, a זְאֵב tam remotum est, ut haec inter se nequeant comparari.

Denique — 3) quaerit *Raumerus*, num **Ζίζα** Ptolemaei V, 17, 6., h. e. زيزا, quam arabici rerum geographicarum scriptores saepius vocant (cf. Zeitschr. d. D. M. G. I. p. 167.), cum **Ζία** vico conveniat? Iterum nego. Nam *Ziza*, sive *Birket-Zîzâ* (بركة زيزا), h. e. *lacus Zizae*, teste Abulfeda p. 247. unius diei itinere aberat ab *'Ammân*, s. Philadelphia, meridiem[16]) versus, in finibus Eparchiae Caracensis (cf. *adh-Dhâheri* Syr. ed. *Rosenm.* p. 19.), *al-'Al* (אֶלְעָלֵה Num. 32, 3.) ruinis vicina (cf. *Robins.* III, 2. p. 923.), dum *Zia* vicus, ut supra exposuimus, in *Salti* urbis vicinia ad septentrionem invenitur.

Sed haec hactenus. Nam nunc transeundum est ad id, cuius caussa hanc dissertationem scripsimus. Instant enim solemnia, quibus Academia nostra more a maioribus accepto instauratae per Lutherum rei Christianae memoriam recolere solet, proxumo die XXXI. mensis Octobris celebranda, quo festo die finitis sacris in aede Paulina publicis iuvenis tam litterarum amore quam

---

[16]) Ritter XV, 2. p. 1158. nodum quaerit in scirpo, dum de *Zizâ* intelligit, quae ab Abulfeda de *'Ammân* satis aperte dicta sunt.

morum integritate commendatissimus, HERMANNUS GELBE, Budissinensis, Theologiae Candidatus et Philologiae studiosus, latino sermone de Suggestu verba facturus exponet, quam vim Philippus Melanthon in instaurandam ecclesiam exercuerit. Cui solemnitati, ut DECANI SPECTABILES, PROFESSORES GRAVISSIMI, COMMILITONES HONORATISSIMI, OMNESQUE omnino, qui litteris nostris favent, interesse velint, ea qua par est observantia rogamus.

P. P. in Acad. Lipsiensi D. XVIII. p. f. Trin. a. MDCCCLIX.
